

12. In undecimo similiter statuit, ut ad professionem nullus admittatur, nisi in ordine, ad quem transfertur, utque sub obedientia maneat, & beneficiorum secularium, etiam Curatorum prorsus incapax existat.

13. In duodecimo ordinat, quod juris patronatus munus duntaxat vere ac proprie obtinet, qui competenter ex suis dotat, aut de novo Ecclesiam, beneficium, sive capellam fundat. In casu autem foundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

14. In decimotertio precipit, presentandum esse beneficiandum ipsi Ordinario, alias institutio, & presentatio, etiam cujusvis privilegi prae-textu, irrita & nulla censetur.

SESSIO QUINTADECIMA.

Sessio decimaquinta sub Julio III. celebrata die 25. Januarii, anno 1552. solum complectitur decretum prorogationis Sessionis, nec non Salvum Conductum Protestantibus concessum, amplioris vero formae, quam primum ipsis exhibitum.

SESSIO DECIMASEXTA.

Sessio decimasexta, & ultima sub Julio III. die 28. Aprilis, anno 1552. foeliciter expleta; comprehendit decretum suspensionis Concilii per biennium, ob graves notoriasque causas in eodem decreto contentas. Postea vero Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IV. per suas Apostolicas litteras sustulit suspensionem.

SESSIONES SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO celebratae.

SESSIO DECIMASEPTIMA.

Decimasextima Sessio, primaque sub Pio IV. Pontifice Maximo auspiciatissime absoluta die 18. Januarii, anno 1562. profert solummodo decretum de celebrando Concilio post illius suspensionem nuper recensitam.

SESSIO DECIMAOCTAVA.

Sequitur decimaoctava Sessio sub Pio IV. habita, die 16. Februarii, anno 1562. quae addit decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis; praesertim pro natione Ger-

manicam, aliisque, ubi publice, & impunè praedicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ejus, quod Sancta Romana Ecclesia sentit, fidem publicam, sive Salvum conductum praestat.

SESSIO DECIMANONA.

Decimanona Sessio sub Pio IV. perfecta ad diem 24. Martii, anno 1562. profert decretum prorogationis Sessionis, nonnullis iuris ac honestis de causis.

SESSIO VIGESIMA.

Vigesima Sessio Pii IV. auspiciis absoluta, die 4. Junii, anno 1562: duntaxat comprehendit decretum prorogationis Sessionis, ob varias difficultates, diversis ex causis ortas; atque etiam, ut congruentius, majorique cum deliberatione cuncta, ibi peragenda procedant.

SESSIO VIGESIMAPRIMA.

Vigesimaprima, quintaque sub Pio IV. celebrata Sessio die 16. Julii, anno 1562. perstringit de Communione sub utraque specie, & parvulorum doctrinam. Ibi enim cunctis Christi fidelibus interdicit Concilium, ne posthac de his aliter vel credere, vel docere, vel praedicare audeant, quam iis in decretis extat explanatum, diffinitumque. Quatuor tantummodo recenset capita, & ex ipsis totidem sacros Canones promit. Tandem decretum de Reformatione in novem partium capita amplectitur.

SERIES CAPITUM HUIUS SESSIONIS.

Primo ergo in capite declarat Concilium, Laicos, & Clericos non conficientes, non astringi jure divino ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide dubitari posse, quin illis, alterius speciei communio ad salutem sufficiat.

In secundo similiter expendit, potestatem circa dispensationem Sacramenti Eucharistiae perpetuò in Ecclesia eluxisse, ita, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.

In tertio insuper statuit, totum integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi; ac propterea, quoad fructum attinet, nullam gratiam necessariam ad salutem eos fraudari, qui unam speciem solum accipiunt.

4. In quarto tandem capite docet Sancta Synodus, parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad Sacramenti Eucharistiæ communionem. Nec tamen ideò damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquandò servavit.

5. Ex his quatuor oppositis capitibus, sive decretis, totidem sacros deducit Concilium Canones, prout modò recensentur.

CANONES PRÆSENTIS SESSIONIS PROPONUNTUR:

1. **I**N primo etenim excommunicantur dicentes, omnes Christi fideles, ex Dei præcepto, vel necessitate Sacramenti, debere sumere utramque speciem Eucharistiæ Sacramenti.

2. In secundo, sub eodem anathematis firmissimo vinculo statuit, Ecclesiam iustis, & legitimis de causis præcepisse Laicis, & Clericis non conficientibus communionem sub unâ tantum specie.

3. In tertio similiter expendit, quòd totus integer Christus Dominus sub unâ panis specie sumitur à fidelibus.

4. In quarto tandem declarat, parvulis non esse necessariam Eucharistiæ communionem, antequam ad discretionis annos preveniant.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

1. **C**onsentaneè his, Sacra Tridentina Synodus nonnulla de Reformatione, per novem disseminata capita, sive decreta sancte, & laudabiliter edita, expendit.

2. Primum declarat, Episcopos gratis ordinare debere; litteras dimissorias, testimonialesque concedere, necnon illos, eorumve Ministros aliquid pro sigillo etiam spontè oblatum, nec aliâ quâcunque de causâ recipere non posse. Ubi autem est consuetudo aliquid recipiendi pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nihil pro officio accipiant Notarii ultra decimam unius aurei partem, modò aliundè eis non suppetat salarium pro officio exercendo.

3. Secundum etiam exprimit, quòd nullus, quantumvis idoneus Clericus secularis moribus, scientiâ, & ætate, majoribus ordinetur, nisi prius habeat beneficium sufficiens ad vitam honestè gerendam, quod resignare non possit, nisi constituto, quòd aliundè vivere commodè possit, vel patrimonium, aut pensionem similiter verè sufficientem obtineat.

4. Tertium sanctissimè ordinat, tertiam partem quoruncumque proventuum, & obventionum, tam dignitatum, quàm canonicatum, personatum, portionum, & officiorum convertendam esse in distri-

butiones quotidianas; ubi eæ sunt ita tenues, ut negligantur, solis interessentibus dividendas: Salvâ consuetudine, per quam non inservientes recipiunt minùs tertiâ saltè parte. Contumaces ulterius jubet puniendos.

5. Quartum statuit, quòd ubi unus Rector non sufficit populo, adjungat sibi Sacerdotes competentes: Insuper assignatur modus, novas erigendi Parochias, etiam invitis Rectoribus, & Præfectis, justa formam Constitutionis Alexandri III. In novis autem Parochiis danda est portio ex fructibus, quomodolibet ad Matricem Ecclesiam pertinentibus, quâ portione non sufficiente, compellendus populus præstare necessaria.

6. Quintum disponit, propter Ecclesiarum inopiam, & in casibus à jure permisis, Episcopum facere debere uniones perpetuas quaruncumque Ecclesiarum Parochialium, & baptismalium, aliorumque beneficiorum, etiam non curatorum cum curatis.

7. Sextum resolvit, quòd illitteratis, imperitisque, honestæ tamen vitæ Rectoribus, Vicariis, aut Coadjutores pro tempore deputentur cum parte fructuum assignandâ; scandalosè autem, sive turpiter viventes, & vivere perseverantes, priventur beneficiis, appellatione quâcunque semotâ.

8. Septimum monet, Episcopum invigilare, Ecclesias vetustate, vel aliâ collapsas restaurari, si fieri potest, ex fructibus, & proventibus ad eas pertinentibus, quibus non sufficientibus, contribuant Parochiani. Si autem Ecclesiæ illæ ullatenùs restaurari non valeant, destruantur; locusque in usum profanum, non sordidum, erectâ tamen ibi Cruce, convertatur: At talium Ecclesiarum beneficia cum omnibus oneribus ad Matrices, seu viciniore Ecclesias transferantur.

9. Octavum determinat de Episcoporum curâ, & visitatione eorum, quæ ad suam diocesim pertinent; præsertimque de Commendatis Monasteriis, Abbatibus, Prioratibus, in quibus non viget regularis observantiâ; ubi verò floret, admonere debet Episcopus eorum Superiores, ut ipsi visitent, & corrigenda corrigant; qui, si intra sex menses visitare neglexerint, Episcopus ipse visitare possit, & corrigere, nullo privilegio, aut appellatione obstante.

10. Nonum decernit, quòd Quæstorum elemosynarum nomen, & usus omninò tollatur. Indulgentias verò, aut alias spirituales gratias Ordinarii locorum debitis temporibus populo manifestent, & duo de Capitulo fideliter elemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia recipiant, nullâ prorsùs mercede acceptâ.

SESSIO VIGESIMASECUNDA.

Vigesimasecunda Sessio, sextaque sub Pio IV. celebrata extat die 17. Septembris, anno 1562. miram ac catholicam de Sacrificio Missæ doctrinam, per novem capita diffusam, & totidem sacros Canones ex ipsis emanatos, exhibet. Etiamque decreta tria, unum de observandis, vitandisque in Missarum celebratione: Aliud de Reformatione, hocque in undecim sejunctum capita: Et aliud super consecrationis Calicis petitione.

SUMMA CAPITUM HUIUS SESSIONIS.

1. In primo determinat de Sacrificio Missæ, ejusque institutione, & representatione: Nam illud Christum Dominum instituisse creditur, dum Corpus suum, & Sanguinem consecrans in Cœnâ communicavit Apostolis, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Reliquit enim Christus Dominus hoc Sacrificium, quod cruentum illud, semel in Cruce peragendum, representaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret.

2. In secundo, hujus Sacrificii Missæ effectus mirabiles commendat; quia cum idem ille Christus, qui in Arâ Crucis semel seipsum cruentè obtulit, in Missæ Sacrificio incruentè immoletur; docet Sancta Synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse, fructusque uberrimus ex ipso emanatos, fideles omnes, tam in hac vitâ, quàm in purgatorio degentes, percipere.

3. In tertio firmat, Sacrificium Missæ soli Deo offerri, quanquam in honorem, & memoriâ Sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit. Unde, nec Sacerdos dicere solet, Offerro tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriâ agimus in terris.

4. In quarto, Canonis Missæ antiquitatem, & authoritatem memorat multis retrò sæculis, cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum decretis, Canonem institutum fuisse constat, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo deprehendatur, quod non maximè sanctitatem, & pietatem eximiam redoleat.

5. In quinto docet, cœremonias, vestes, & alia, quæ ad Missam pertinent, instituta fuisse, ut tanti Sacrificii veneranda majestas maxime commendaretur, & fidelium mentes per hæc visibilia religionis, &

pie-

pietatis signa ad altissimarum rerum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

6. In sexto statuit, quòd etiam Missa illa, in quâ nullus præter Sacerdotem, qui est publicus Ecclesiæ Minister, Sacramentaliter communicat, est publica, eò quòd à publico Ecclesiæ Ministro non per se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebretur.

7. In septimo, quamplures causæ afferuntur, ob quas indictum sit Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant.

8. In octavo præcipit, quòd Missa non vulgari celebranda idioma: ejus tamen Mysteria populo sunt frequenter enucleanda per animarum Curatores, diebus præsertim Dominicis, & festis.

9. Nonum duntaxat continet approbationem Sacrorum Canonum, per quos plures errores his temporibus ab hæreticis disseminatos, Sancta & Universalis Ecclesia unanimi Patrum omnium consensu eliminat, & præcidit.

10. Postea novem sacros Canones, ex totidem his capitibus de Sacrificio Missæ appositis, deducit, quibus colluviem insanamque rabiem hæreticorum compescit, impudentiamque frangat.

11. Ad hæc, de observandis, vitandisque in Missarum celebratione decretum adducit. Quia, cum nullum aliud opus adeò sanctum, ac divinum à Christi fidelibus tractari possit, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, plura observatione digna declarat, præcipitque ab omnibus inviolabiliter teneri.

DECRETUM DE REFORMATIONE IN UNDECIM dispersum capita.

1. Primum docet, Clericos omnes à negotiis secularibus alienos esse; honestè graviterque in habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus se gerere, ac sanctè vivere debere; cum cæteris spectaculum facti sint, ab eisque sumant, quod imitentur.

2. Secundum, qualitates assumendorum ad Ecclesias Cathedralis præscribit, qui vitæ provitate, natalibus, ætate, moribus, & ordine sacro præditi esse debent, ac tales, qui cæteros docere valeant, quæ probari debent testimoniis. Quòd si Regulares fuerint, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeant.

3. Tertium determinat, quòd distributiones quotidianæ sint assignandæ ex tertiâ parte quoruncunque fructuum omnium dignitatum, personatum, & officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis

exi-

existentiam: Portiones absentium cedant piis locis arbitrio Episcopi, nisi actum ministrent in Ecclesiâ curatâ extra Civitatem.

4. Quartum disponit, quod in Cathedrali, vel Collegiatâ seculari, vel regulari, mancipatus minimè habeat vocem in Capitulo, nisi sit Subdiaconus; oneribus subeundis per se infra annum sint quique idonei. In posterum provisio fiat solis habentibus integrè ætatem, aliter irrita censeatur provisio.

5. Quintum ordinat, dispensationes committendas extra Curiam Romanam ab Ordinariis videndas esse; nec gratiosas suum sortiri effectum, nisi Episcopis cognoverit summarie tantum, & extrajudicialiter expressas precès subreptionis, vel obreptionis vitio non subiacere.

6. Sextum præcipit, in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justâ, & necessariâ causâ fieri debent Episcopos, summarie, & extrajudicialiter cognoscituros, nihil in præcibus falsum narratum fuisse, priusquam præfatæ commutationes executioni mandentur.

7. Septimum renovat decretum Innocentii IV. quod incipit: *Romana de Appellationibus in 6.* circa appellationes ad Superioris; aliter inhibitiones, & processus, & inde secuta quæcunque, sint ipso jure nulla.

8. Octavum ostendit, Episcopos plenissimè potiri jure visitandi pias omnes dispositiones quoruncunque Collegiorum, hospitalium, & confraternitatum, exceptis his, quæ sunt sub immediatâ Regum protectione, non obstantibus quæcunque consuetudine, etiam immemoriali, privilegio, aut statuto.

9. Nonum cogit administratores tam ecclesiasticos, quam laicos cujusvis Ecclesiæ fabricæ, etiam Cathedralis, hospitalis; confraternitatis, aut quorumcunque piorum locorum, singulis annis reddere rationem Ordinario, nisi aliter in fundatione sit expressè cautum.

10. Decimum statuit, Notariorum quorumcunque sufficientiam scrutandam, examinandamque ab Ordinariis, & non sufficientes, ac delinquentes prohibendos, arcendosque à causis ecclesiasticis ad nutum suum, etiam si Apostolicâ, Imperiali, aut Regiâ autoritate creati fuerint.

11. Undecimum severe indicit, quod occupator quarumcunque obventionum piis locis applicandarum, aut impediens quocunque colore, ne fructus percipiantur à quibus debentur, anathemati subiaceat tandiù, tandiù jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, non restituerit, & à Romano Pontifice absolutio-
nem non obtinuerit.

12. Postremò adducit decretum super petitione concessionis sacri Calicis: An honestis, & christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus sit alicui, vel Nationi, vel Regno Calicis usus? Et decernit, integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum Romanum Pontificem esse referendum, qui pro suâ singulari maximâque prudentiâ id efficiat, quod proficuum Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore, judicaverit.

SESSIO VIGESIMATERTIA.
PANDITUR Sessio vigesimatertia, quæ est septima sub Pio IV. celebrata, die 15. Julii, anno 1563. continens miram Sacramenti Ordinis doctrinam, in quatuor sparsam capita, & Canones octo ex ipsis emanatos. Item decretum de Reformatione, in octo super decem deprehensum capitibus.

DE SACRAMENTO ORDINIS PROPONUNTUR CAPITA.

1. PRIMUM circa Ordinis Sacramenti doctrinam versatur, eò quod Sacrificium, & sacerdotium ita divinâ ordinatione juncta sint, ut utrumque in omni extiterit lege. Unde, præfatum, novumque sacrificium, & sacerdotium, in quod vetus translatum est, à Christo Domino fuisse institutum, docet.

2. In secundo exprimit, ad tanti sacrificii venerationem, ab augustissimo nascentis Ecclesiæ exordio fuisse in uso septem Ordinis, quorum alii aliis sint majores, ita ut Subdiaconatus inter majores referatur ordines.

3. In tertio statuitur, Ordinem esse propriè & verè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, quod perspicuum est ex Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, omniumque Patrum unanimi consensu firmato.

4. In quarto consentaneè his Sancta Synodus decernit, Ordinis Sacramentum imprimere characterem indelebilem, qui nec deleri, nec auferri potest. His etenim expedit sententiam asserentiam novi testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, & semel ritè ordinatorum, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exercent.

5. Hic octo deducit Canones sacros ex his quatuor Capitibus Sancta Synodus, per quos plures hæreticorum opiniones, circa hujus Ordinis Sacramenti doctrinam, prorsus damnantur.

DECRETUM DE REFORMATIONE, DECEM ET OCTO
deprehensum capitibus, expenditur.

1. **I**n primo determinat de Residentiâ Prælatorum, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, & Curatorum animarum; pœnasque supra id impositas recenset, nisi legitimæ adsint causæ coram Superiori probandæ, ut christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ emolumentum.

2. In secundo disponit, quod Cathedralium Præfecti ultra tres menses consecrationem differentes, fructibus perceptis restituendis sint obnoxii, & totidem intra menses postea id facere negligentes, Ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesiâ ad quam promitti fuerint, aut in Provinciâ, si commodè fieri potuerint, celebretur.

3. In tertio decernit, Episcopos per semetipsos ordines conferre debere, dummodò non sint impediti; tunc enim subditos suos aliter quam jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

4. In quarto, de primâ tonsurâ initiandis agit, qui initiari non poterunt, si Confirmationis Sacramentum prius non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant.

5. In quinto docet, ad minores promovendos ordines, bonum à Parocho, & Scholæ Magistro, in quâ educantur, testimonium habituros. Qui verò majoribus sunt initiandi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri committat, ut de eorum natalibus, ætate, moribus, & vitâ à fide dignis diligenter inquireat.

6. In sexto statuit, quod nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum possit beneficium obtinere. Fori privilegii gaudere volentes, beneficium ecclesiasticum habere debent, aut clericalem habitum, & tonsuram deferre, vel alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopo inservire, vel alia munia ibi assignata obire.

7. In septimo monet, ut quandò Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feriâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quandò Episcopo placuerit, ad Civitatem evocentur, & de eorum genere, ætate, institutione, moribus, doctrinâ, & fide sedulo examinentur ab Episcopo, aliisque prudentibus Viris in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis.

8. In octavo præcipit, unumquemque à proprio Episcopo, aut alio, sed de proprii licentiâ, & testimonio, sub gravi pœnâ, ordinandum: Insuper, ad Cathedralium Ecclesiam, aut ex diœcesi inventam convenientiorem, statutis à jure temporibus, conventurum.

9. In nono disponit, Episcopum familiarem suum, non subditum ordinare non posse, nisi per triennium secum fuerit commoratus; statimque ei re ipsâ beneficium conferat, consuetudine quâcunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

10. In decimo constituit, Abbates exemptos, etiam nullius diœcesis, nulli sæculari, aut regulari sibi non subdito litteras dimissorias præstituros; nec quâcunque Capitula, etiam Cathedralium Ecclesiarum. Concedentes verò dimissorias contra formam decreti Pauli III. ab officio, & beneficio per annum esse ipso jure suspensos.

11. In undecimo statuit, quod minoribus initiandi ordinibus interstitia servent, nisi aliud Episcopo magis congruum videatur; exerceant ordinis suscepti officium, revereantur Superiores in ordine, passim Communionem sumant, sintque tales, quos scientiæ, & doctrinæ spes majoribus ordinibus dignos ostendat. Hi verò, non nisi medius à postremo minorum ad primum majorum ordinum gradum sit annus, non promoveantur, si necessitas, aut Ecclesiæ utilitas aliud non ex-
posceat.

12. In duodecimo disponit, nullum in posterum promovendum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad Diaconatus ante vigesimum tertium; ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis annum. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine prævio diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque penitus exclusis.

13. In tertio decimo resolvit, quod Subdiaconi ordinetur sperantes se continere posse, diebus festis, quibus altari ministraverint, communionem sacram percipiant; annus sit elapsus ante promotionem ad Diaconatum, nisi aliud Episcopo videatur. Duo sacri ordines non eodem, die, etiam regularibus conferantur.

14. In quartodecimo statuit, Presbyteros ordinandos esse, qui ad minus annum integrum egerint in exercitio diaconali, & tales esse debere, ut sciant docere cæteros, & ministrare sacramenta, necnon honestis moribus bonorum operum teneantur præbere exemplum, & vitæ monita. Ordinati frequenter Missam celebrent, ut suo muniri satisfaciant. Cum, promoti per saltum, non ministraverint, Episcopus ex legitimâ causâ possint dispensare.

15. Præcipit in quintodecimo, quòd etiam si Presbyteri in suâ ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, nullus tamen, regularis etiam, sine approbatione Episcopi potest confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire.

16. In decimosexto determinat, quemcunque ordinandum utilem futurum suæ Ecclesiæ, & in eâ adscribendum, ubi suis fungatur muneribus, nè incertis vagetur sedibus. Desertori suæ Ecclesiæ, inconsulto Episcopo, sacrorum exercitium interdicitur. Nemo peregrinus, sine litteris commendatitiis sui Ordinarii, ad divina celebranda, Sacramentaque administranda admittatur.

17. In decimosextimo capite continetur, Minorum Ordinum exercitia restituit debere in Ecclesiis, assignatione factâ fructuum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ. Deficientibus tamen Clericis Cœlibatum colentibus, sufficiens esse conjugatos monogamos tonsuratos, & clericalem habitum in Ecclesia gestantes.

18. Explicit vigesimatertia sessio in decimo octavo capite hujusmodi: In singulis Cathedralibus, Metropolitanis, aliisque majoribus Ecclesiis Sancta Synodus statuit, ut Collegia, sive Seminaria pro puerorum educatione, ut in posterum Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inserviant, instituantur. Episcopi debent primum ex suâ, & Capituli mensâ contribuere seminario, & postea cogere alios. Insuper, pro regulis statuisque conficiendis, duo Canonici ab Episcopo sunt eligendi.

SESSIO VIGESIMA QUARTA.

1. **A**ccedit Vigesima quarta gravissima Sessio octava sub Pio IV. celebrata, die 11. Novembris, anno 1563. continet proficuum valdè doctrinam de Sacramento Matrimonii in duodecim sacros sparsam Canones. Insuper, duplex adducit decretum. Primum de reformatione Matrimonii in decem divisum Capita. Secundum etiam de reformatione circa ejusdem materiæ progressum, & in unum supra viginti Capita partitum.

2. Adhæc Sacra Tridentina Synodus exoptans Hæreticorum, Schismaticorumque temeritatem, & audaciam compescere, famosiores eorum hæreses, & errores circa Matrimonii Sacramentum, duodecim hic appositis sacris Canonibus, evertere tentat.

DECRETUM PRIMUM DE REFORMATIONE MATRIMONII in decem partitum capita.

1. **I**n primo ostendit modum, formamque celebrandi ritè ac solemniter Matrimonii Sacramentum. Hoc etenim decreto Matrimonia clandestina, non solum illicita, verum irrita, & invalida decernit, & declarat.

2. In secundo assignat Personas, inter quas impedimentum cognationis spiritualis, ortum ex Baptismo & Confirmatione, contrahitur.

3. In tertio determinat de publicæ honestatis impedimento. Ubi sponsalia valida hoc solum impedimentum causant; protenditurque in primum gradum usque, quia in ulterioribus prohibitio observari absque dispendio nequit.

4. In quarto statuit Sancta Synodus, impedimentum affinitatis ex fornicatione contractum solum ad secundum gradum usque dirimere Matrimonium postea celebratum.

5. In quinto diffinit, quòd si quis intra gradus prohibitos Matrimonium contrahere præsumperit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; si verò ignoranter id fecerit, tunc facilius cum eo, & gratis, dispensare poterit. In contrahendis Matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro.

6. In sexto decernit eadem Synodus, Matrimonium inter raptorem & raptam nullum, consistere posse, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit. Raptor, omnesque illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames; etsi Clerici fuerint, de proprio decident gradu.

7. In septimo docet, quòd si Parochi diligentem indaginem prius non fecerint, & rē ad Ordinarium delatā, ab eoque licentiam non obtinuerint, Matrimonia hominum, qui vagantur, & incertas habent sedes, non admittantur, neque ipsis intersint.

8. In octavo expendit, quòd si concubinarij ab Ordinario ter admoniti concubinas non ejecerint, ab earumque consuetudine se non abstinerint; excommunicatione feriuntur; & concubinariæ etiam si ter admonitæ non paruerint, invocato sæculari brachio, extra oppidum, vel Diocesim ejiciantur.

9. In nono præcipit, omnibus Dominis, Magistratibusque cujuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœnâ, ipso facto incurrendâ, nè directè, aut indirectè subditos suos,